

THESIS
PHILOSOPHICA.

UNIVERSITAS REGIA.

FACULTAS LITTERARUM IN ACADEMIA PARISIENSI.

THESIS
PHILOSOPHICA

DE

BOETHII CONSOLATIONIS PHILOSOPHICÆ


LIBRO.

PARISIIS,

EX TYPIS RIGNOUX,

VIA FRANCORUM-CIVIUM-SANCTI-MICHÆLIS, N° 8.

MDCCCXXXII.



DISSERTATIO
PHILOSOPHICA
DE ANITII BOETHII
CONSOLATIONIS PHILOSOPHICÆ
LIBRO.

Res est de Manlii Anitii Boethii consolatione philosophica, de qua, omissis, ex industria, omnibus quæ ad vitam ipsius, et philosophandi magistros et doctrinam, aut ad libri formam et sermonem pertinerent, theorice disserere incipiam.

Sed antequam rem aggrediar, præmittenda mihi pauca visa sunt quæ lectorem monitum volui. 1° Vere philosophicum esse Boethii libellum; qui nempe e libera cogitatione natus sit; et in quo, neglecta illa qualiscumque sit christianæ revelationis doctrina, hoc tantum pro certo et vero receptum sit quod certum per se ac verum esse videatur. 2° De libri methodo cujus mentio sæpius futura est, nunc satis erit dixisse hoc peculiare et proprium habere ut e synthesi proficiscatur et per inductionem et analysin, refellendo potius quam docendo, abstrahendo potius quam addendo, rursus ad synthesin redeat. Quod omnino Platonicum est. 3° De libro ipso, liquet, ut moris antiqui erat, ethicam omnem doc-

trinam intra angustos hujus quæstionis limites redactam, quid sit proprium hominis bonum, amplecti. Quibus præmissis ad Boethii doctrinam venio quæ hæc fere est (1).

Re et experientia compertum est in illis quæ omnes optant nihil veri boni inesse. Quippe quæ in nos indulgentissime fortuna contulerit vana, caduca, inania persæpe, imoque periculosa omnes experti sumus; et longissime quidem a summo bono distare arbitramur. Etenim cum summum esse quoddam bonum persuasum habeamus, constat summum illud bonum omnia in se bona amplecti et continere. Si minimum enim tantummodo deesset, non jam summum bonum videretur, cum extrinsecus aliquid accedere posset (2). Liquet igitur esse beatitudinem statum bonorum omnium aggregatione perfectum. Quæ cum ita sint, nihil absimilius perfecta illa beatitudine excogitari potest quam nostræ felicitatis istæ portiunculæ, quas decoro beatitudinis nomine honestatas tanto animo prosequimur.

Jam quid sit falsa beatitudo; nunc ab illa falsa beatitudine qua parte vera discrepet paucis expediam; et ratio quidem promptissima est. E præmissis constat perfectam beatitudinem esse aliquid natura

---

(1) V. De consolatione philosophiæ libri quinque, luculentissimis Johannis Murmellii partim etiam Rodolphi Agricolæ comm. illustrati, p. 905. Basileanæ editionis, 1570, fol.

(2) Hanc demonstrationem ut plures alias quas notare non vacat in Philebo verbatim fere reperire est : Δεῖ γὰρ μηδενὸς μηδὲν ἔτι προσδεῖσθαι, etc. Plat., op. Lipsiæ, t. III, p. 159.

simplex et indivisum, nostro licet errore separetur sæpius ac discindatur. Omnis autem hæc beatitudo in sufficientia merito ponitur, quæ cogit in se quidquid in terris boni reperire est. Sibi enim sufficere ac posse unum est, cum is plurimum possit qui minimum indigeat. Sufficientia rursus ac potentia reverentia dignissimæ sunt, nec sua egent claritudine. Habent præterea nescio quid summæ voluptatis. Hæc igitur omnia unum atque idem sunt, cui nihil addi, a quo nihil detrahi potest.

Quid sit et quo recondita sit summa illa beatitudo quam e mendaci nostra felicitate discrevimus, nobis nunc inquirendum est. Si verum est, quod nemo dubitat, esse quoddam imperfectum bonum : aliud esse perfectum et absolutum bonum necesse est, quod veluti fons omnium bonorum sit. Omne enim quod imperfectum est id diminutione perfecti imperfectum esse perhibetur. Nam, perfectione sublata, unde illud quod imperfectum perhibetur extiterit, ne fingi quidem potest. Nec a diminutis inconsummatisque natura rerum capit exordium; sed ab integris absolutisque procedens in hæc extrema atque effæta dilabitur. Hanc autem perfectam felicitatem Deum esse profiteor. Quod manifestum mihi videtur. Si perfectum enim est aliquid, ut supra demonstravimus, Deum esse illud quod perfectum est necesse consequitur. Nam Deum volo imperfectum esse, jam illud quod perfectum est extra Deum et supra Deum esse, id est, Deum non esse Deum fatendum erit. Sed Deum et summum bonum unam

atque eamdem rem esse facile demonstrabitur. Nam si Deus summum illud bonum non ita naturaliter haberet ut eadem habentis Dei habitæque beatitudinis substantia sit, extrinsecus accepisset; et præstantius id quod dederit eo qui acceperit, existimare necesse est. Si autem summum illud bonum extrinsecus Deus acceperit, summum bonum a Deo sui natura diversum erit; et fingat qui potest quis hæc diversa conjunxerit : is supra Deum, id est ipse Deus erit. Denique si admiserimus summi boni naturam divinæ naturæ conjunctam fuisse, fatebimur, priusquam hæc conjuncta sint, tempus fuisse cum distincta discretaque essent, tempus scilicet fuisse cum sibi aliquid alienum et superius sentiret Deus; id est Deum non æternum esse fatebimur. Hoc unum adjiciemus. Si duo essent summa et perfecta bona neutrum perfectum foret, nunquam enim alterum esset quod esset alterum, et alterum semper alteri deesset.

Ex his quæ prædiximus, Deum nempe summum bonum et summam beatitudinem esse, illud πορίσμα inferre licet. Uti justitiæ adeptione justos, sapientiæ sapientes fieri; ita beatitudinis adeptione beatos, et cum vera beatitudo divinitas sit, Deos constat fieri quicumque beati fiunt.

Nobis nunc manifestum est imperfectam felicitatem nostram e variis ac repugnantibus constare elementis; plenam autem et absolutam beatitudinem unum aliquid esse simplex natura et incompositum. Omne autem quod est, naturali instinctu, tueri salutem laborat, mortem vero, quantum in eo est, per-

niciemque refugit. Id est, ut alia vocabula usurpem, unum fieri aut unum perstare laborat; nam omne quod est tamdiu manere atque subsistere quamdiu sit unum, manifestum est; interire autem atque dissolvi cum unum esse destitit. Sed unum monstravimus id ipsum esse quod bonum est. Est igitur suus omnibus rebus et certus finis, unum scilicet aut fieri aut perstare. Quod quia bonum esse collegimus, oportet rerum omnium finem bonum esse fateamur. Nunc rebus omnibus a Deo creatis et Deo ipsi unum et eumdem omnino finem esse profiteor, quod e supra demonstratis inferre licet facillime. Sufficientiam enim summam esse beatitudinem, et summam beatitudinem Deum esse consensimus. Cum sibi ipsi sufficiat Deus, nullis ad regendum mundum adminiculis indiget, et per se omnia disponit ac regit. Atqui Deus ipsum bonum esse monstratus est. Per bonum igitur cuncta disponit siquidem per se regit omnia. At ex altera parte, omnia ad bonum naturali intentione festinare demonstravimus. Est igitur Deo et rebus dum ille regat, dum hæc regantur, unus atque idem finis. Nihil est quod naturam servans Deo contraire conetur; nam Deus ne malum cogitare quidem potest. Nec Deus, cum nihil nisi bonum velit, non contraire potest huic naturali rerum intentioni. Velle malum Deus non potest, cum Deus esse desineret. Item malum exsequi res a Deo creatæ non possunt, cum desinerent esse quod sunt. Nullum igitur usquam malum in terris esse fatendum est.

Si quis rem attentius consideraverit; ex his quæ prædiximus et sedulo demonstravimus hæc omnia naturaliter inveniet et necessario consequi. Sed ne sit dubio locus, rem ex integro repetit Boethius; et quod verum inductione logica collegit, id re et facto verum demonstrare aggreditur.

His igitur singulatim aggressis quæ vulgo dictitantur : malos scilicet semper potentes esse, bonos autem omnibus viribus destitutos — suum semper virtuti præmium, suam nequitiæ pœnam denegari — his innixus quæ vera præmisit, mira quadam subtilitate atque facilitate gravissimis confutat argumentis.

Potentes esse nedum imbecilles bonos asserit, malos autem omni potentia nudatos. Quum illi, quoniam boni sint, hanc ad quam naturali tendunt intentione omnia beatitudinem adsequantur, quod summum bonum est; mali autem, minime. Rursus suum semper virtuti præmium, suam vitiis pœnam destinari demonstrat, quum bonis bonum ipsum sit præmium, quod nempe cum beatitudine conjunctum est; malis autem nequitia ipsa supplicium sit ab omni bono, id est, ab omni beatitudine sejuncta. E quibus inducit satius improbis esse si puniantur, quam si impuniti dimittantur omnino; quum pœna aliquid boni, ratione habita justitiæ, habeat; et infeliciorem esse qui intulit quam qui pertulit malum. E quibus omnibus fusius explicatis omnem fortunam bonam esse colligit; quippe quæ semper tum remunerandi exercendive bonos, tum puniendi corrigendive improbos causa deferatur. Quod enim prodest utile

est. Quod autem utile bonum est. Fortunam igitur quæ exercet aut corrigit utilem, id est bonam esse constat. Rursus, omnium consensu, fortuna quæ remunerat bona est; fortunam autem quæ punit e prædictis bonam esse liquet. Jure ergo colligitur bonam omnem esse fortunam, et nullum usquam esse in terris malum.

Hæc de malo. Quid autem de malis et improbis ipsis senserit, animadvertendum est. Quodcumque naturam non retinet, ab hac deficere natura profitetur Boethius. Inde, qui rectam hominis naturam non retinet ab hac natura ad inferiores naturas decidere necesse est. Sic igitur quem supra hominis naturam evehere probitas poterat, infra hominis meritum detrudit improbitas; et qui in conditionem divinam transire non possit, ad belluam redigatur necesse est.

Hac duplici exacta demonstratione, bonum 1° Summam beatitudinem id est Deum ipsum esse; et 2° Nullum usquam esse in terris malum; rebusque *a priori* primum, deinde *a posteriori* demonstratis; ad altiora consurgit Boethius. Ratus hominis facta non jam bona aut mala, nec pœna aut præmio digna dici posse, et omnia prorsus inania esse quæ disputantur de bono et malo, si nulla inest homini arbitrii, id est volendi aut nolendi libertas; de arbitrii libertate hoc ferme modo disputare aggreditur.

Inesse homini dico (ait Boethius noster), qui rationis natura particeps est et judicium habet quo quodque discernat per se, et fugienda optandave dinoscat, volendi nolendique libertatem. Sed hanc

non in omnibus æquam esse constituo. Nam supernis divinisque substantiis et perpicax judicium, et incorrupta voluntas, et efficax optatorum præsto est potestas. Humanas vero animas liberiores quidem esse necesse est quum se in mentis divinæ speculatione conservant; minus vero quum dilabuntur ad corpora, minusque etiam quum terrenis artubus colligantur. Extrema vero est servitus quum vitiis deditæ a rationis propriæ possessione deciderint. His præmissis, ad hæc accedendum est quæ adversari dicuntur, prænoscere universa Deum et esse ullum libertatis arbitrium.

Repugnare et adversari videntur prænoscere universa Deum et esse ullum libertatis arbitrium. Et enim si Deus ab æterno facta, consilia voluntatesque prænoscit, hæc fieri necesse erit quæ prospexerit Deus, et jam nulla est arbitrii libertas. Nam, quod ad factum futurum attinet, 1° Aut necesse est illud fieri, et jam Deus illud prænoscere potest; sed tunc alienam Deo concedendum est impositam esse necessitatem, et æternæ præscientiæ temporalium rerum eventum causam esse, quod dictu nefas est; 2° Aut fieri non necesse est, nec incerta prospici possunt et Deus — aut res aliorsum quam se habere debent, providerit — aut inevitabiliter eventura censebit quæ etiam non evenire possibile est — aut ita ea futura esse decernet, ut æque fieri ea vel non fieri posse cognoscat, et uti homines incerta judicat quorum est incertus eventus, quæ omnia absurda et impia sunt; 3° Aut demum futura fieri necesse est

quoniam providentur; et jam, ut supra professi eramus, nulla est arbitrii libertas. Quo semel recepto, quomodo subvertentur omnia liquet. Frustra bonis malisque, quin etiam iniquissime, præmia pœnæve proponuntur, quæ nullus meruit liber ac voluntarius motus animorum, nihil est enim quod vitium merito aut virtutem appelles. Et quum nihil omnino liceat consiliis humanis, fit ut vitia quæque nostra ad bonorum omnium auctorem necesse referantur, etc., etc.

Hujus erroris nostri causa est quod omnia quæ novimus cognosci ex ipsarum rerum tantum vi atque natura, non secundum facultatem cognoscentium arbitramur; et divinæ præscientiæ simplicitatem ad hos nostræ humanæ rationis motus deprimimus, quod omnino secus est. Etenim unameam démque corporis rotunditatem aliter visus, aliter tactus agnoscit. Sensus materiam, universales species imaginatio contuetur, ratio capit simplices formas, intelligentia autem omnia quæ subsunt quasi desuper spectans dijudicat. Deus nec sensibus, nec imaginatione, nec ratione utitur. Ipse intelligentia est, quæ omnia, et, ut ita dicam, formatim intelligit. Aliter igitur alii pro sua natura intelligunt et cognoscunt. Et si ad illius summæ intelligentiæ cacumen erigi possemus, jam intelligeremus quomodo hæc quæ nobis desunt, Deo attributa sunt; quæ nobis impossibilia, Deo facilia sunt, et quomodo quæ certos excitus non habent certa tamen videat et definita prænotio.

Deum æternum esse omnium commune judicium

est. Et id æternum jure perhibetur quod interminabilis vitæ plenitudinem totam comprehendit ac possidet; cui neque futuri quidquid absit, nec præteriti defluxerit, et præsens sit mobilis temporis infinitas. Quum autem Deo sit æternus ac præsentarius status, scientia ejus in sua simplicitate immota, infinitaque præteriti ac futuri spatia complectens, omnia quasi jam gerantur in sua simplici cognitione considerat. Qua igitur ratione necessaria fiant quæ divino lumine lustrantur? Nam ne humanus quidem, nedum divinus his quæ præsentia cernit aliquam necessitatem addit intuitus. Quare hæc divina prænotio naturam rerum non mutat : præsens tantum modo videt ac comprehendit quod futurum nobis est. Videt igitur omnia Deus; ex quibus autem videt hæc fieri hæc non fieri debebant, quia prius quam fierint etiam non evenire potuissent. Et jam intelligimus quonam modo certo provideri possint quæ incertos tamen habeant exitus.

E quibus rite demonstratis consequitur (omnia, quæ nulla modo erant) intemeratam esse mortalibus arbitrii libertatem, et merito præmia pœnasve proponi quæ cunctorum præscius Deus dispensat, nec frustra in Deo nostras positas spes, nec inefficaces preces esse quæ omnia hominum a malo deterrere ad rectum autem devocare quam plurimum valeant.

Is est, summotis omnibus quæ ad philosophiam non jure pertinerent, Boethii de consolatione philosophica libellus.

Ex hac Boethii doctrina quæ supra nobis summa-

tim exposita est, tria tantum eligenda censuimus, quæ ita inter se connexa sunt ut ne disjungi quidem possent, quibus ita omnia alia adhæreant ut his jure referenda sint.

1° Quærendum nobis erit unde profectus Boethius, et qua via ad varias illas solutiones, quas lustravimus modo, venerit. Et quibus semel approbatis principiis illæ defluxerint solutiones, et ad quam philosophicam referri debeant doctrinam.

2° Inquiremus deinde an commode et probe hæc Boethii de bono et malo doctrina ab illis principiis deducatur quibus referenda est; et quod ad ipsam doctrinam attinet, an omnino perfecta sit.

3° Hoc tandem absoluto, ad hæc veniemus quæ disputavit Boethius de divina præscientia et arbitrii libertate; de qua quæstione plurima inquirenda erunt: — an jure sub finem libri relegata sit — an probe ad hoc tantum quod divinam spectat præscientiam reducta — an recte soluta sit.

Jam vero quod primum nobis propositum est aggrediamur.

Illos secutus philosophos qui pluris animam faciunt e psychologia doctrinæ ethicæ initium duxit Boethius. Hominem nasci profitetur idæis quibusdam et notionibus instructum. Quæ quidem notiones quum omnia quæ sensibus percipiuntur explanent, (1) ab eisdem explanari nequeunt; quas non generasse,

---

(1) Rem luculenter exposuit. Jos. de Maistre, *Soirées de Saint-Pétersbourg*, t. 1, p. 498.

nec rursus unquam abolevisse omnino sibi conscius homo est; quas summovere diutius et pro fictis habere, ad nihilum autem redigere non homini datur. Illæ autem notiones, quas permultis sensibilibus ac adventitiis notionibus immixtas mens humana capit, substantialiter et omni admistione vacuæ, divinam apud intelligentiam reperiuntur. Nasci igitur hominem recipiendum est quibusdam instructum notionibus quæ divinarum notionum imagines dici possunt, obscurato quidem et imminuto repercussu expressæ.

His receptis quæ ad psychologiam attinent, prævidere licet quæ ex his necessario defluant. Quum apud hominem reperire sit divinum quoddam elementum; ad hoc inprimis animus appellendus est, hoc potissime est recognoscendum. At quum elementum illud, natura rerum et fatali quadam conditione, omni genere sensibilium, fortuitarum ac contingentium notionum impeditum sit, hoc propositi habent omnes philosophicæ scientiæ ut illud extricent ex alienis illis quibus irretitur et obscuratur notionibus. Sejungendum enim est ab istis omnibus quæ sensibus percipiuntur natura instabilibus nempe, fortuitis et contingentibus; erigendum, quantum in nobis est, ad puram illam et simplicem naturam suam, ut denique effigies ad exemplarii similitudinem quam proxime accedat, pro nostra virili parte nitendum. Hæc propemodum Boethii nostri doctrina moralis est.

Notiones inter illas e quibus divinum illud constat elementum, quibusque humanam instrui naturam modo ostendimus, apertissima et promptissima qui-

dem est, quæ nempe controversiam minime recipiat et facillime internoscatur, quod sæpissime apparet et pervarie, hæc innata nobis boni conscientia; qua quidem recepta, moralis æstimatio invenitur. Et si receperimus semel hominem boni conscientia instructum nasci, concesserimus etiam nasci hominem ethica lege instructum, quum probum sit quod huic legi congruat, malum autem quod discrepet ab illa lege quam homini innatam esse collegimus. Inventam igitur ethicam artem liquet, sed ita inventam ut desit aliquid quod illam perfectam reddet, hoc nempe quod omnes obliget et adstringat. Quum enim bono studeant homines, item quum malum declinent sequuntur tantum quamdam animi intentionem naturaliter insitam, et quid secum laudis aut meriti ferant minime equidem animadverto (1). Si ad ethicam spectes illos neque pœnæ neque præmii capaces invenies. Quidquid egere impulsu quodam egerunt, probo quidem et bono, quod forsitan ignorabant, eoque solum incitati, quod doloris aliquid priusquam huic necessitati satisfacerent, aliquid autem voluptatis postquam satisfecissent, experirentur. Sed quo tendat doctrina nostra nos semper meminisse

---

(1) Mirum in modum hoc loco cum suavissimo poeta congrui:

Che sono in voi sì come studio in ape
Di far lo mele; e questa prima voglia
Merto di lode o di biasmo non cape.

(Dante Purgatorio, c. xviii.)

necesse est. Illa boni conscientia, cui quidquid agamus congruere oportet, ipsa ad summum bonum, ad deum scilicet referenda est : nec jam contingens sed universale, non singulare sed necessarium evadit bonum quod omnes obliget et adstringat. Nam quum hanc semel veritatem assecutus sit animus, non jam proprium et peculiare homini bonum illud videri potest quod boni universi, id est, Dei partem aliquam esse sibi conscius est. Itaque Platonis doctrinæ non satis placet ethica illa a plerisque recepta sententia : eam nimirum ethicam legem esse ut quidquid agamus rationi congruat. Potior illa visa est quæ capacior longe : hominem quantum in se est, eniti debere, ut ad Deum semper propius accedat. Et virtutem Platonici nuncupantur hanc assiduam intentionem qua ad similitudinem dei accedere conamur. ὁμοίωσις τῷ θεῷ.

Illo semel approbato principio, omnia inde facillime inducuntur Boethii πορίσματα. Sejunximus, nec immerito quidem, hæc primaria principia ab omnibus aliis quæ inde defluxisse collegimus. Hæc primaria autem principia ædificii fundamenta jure dixerim, et omnes ædificii partes quas ferre hæc fundamenta recusent corruere necessum est. Quæ si vera sint, hoc quod malum vocant homines nullo fundamento aut nullo eorum principiorum inniti constat. Non enim nascitur homo mali sensu instructus, cui nempe inserviret, et collegimus contra hominem bono tantum et summo quidem bono studere ; approbavimusque summum bonum virtutemque unum et idem esse.

Rursus hoc recepto quod ne fingi quidem potest, malum natura hominem esse, fatendum erit hunc mali sensum homini a Deo ipso inditum esse, id est omnis boni auctorem mali auctorem esse, quod dicere nefas est. Fateamur igitur necesse est nullum usquam in terris malum esse aut tantum negativum esse.

Ea est ni fallor ethica illa quam Platonicam et stoïcam haud immerito dixerim, Boethii doctrina. Nec quidquam mutavi; in lucem tantum revocavi prima illa principia unde Boethium profectum esse mihi videtur, et apertius sane audentiusque quædam ex his elicui consequentia. Erunt forsitan qui crimini Boethio vertant quod cæco fatorum arbitrio nimium attribuerit, et latius patere velit hanc animi in fortuna sua acquiescentis patientiam. Licet enim Boethius suis semet ipsum principiis subducere susceperit, hæc modo reticendo, modo divertendo aut vitiando quæ ab iis necessario consequerentur; fatendum est illuc naturali intentione illius doctrinam tendere. Imo etiam et ipse Boethius rem simplicius quidem quam vellet interdum fatetur. Hanc tantum afferam egregiam argumentationem qua approbare conatur voluntatem inter humanam et divinam dum naturam suam tueatur homo, nullum unquam fieri posse dissidium.

Verum quidquid id est, multa speciosa quidem et eximia præ se fert illa doctrina. Imprimis essentia moralis est : quod quidem ita raro accidit ut commemorare non supervacuum sit; et moralis merito dici potest quod e psychologia initium sibi fecerit.

In ista enim sensationis doctrina perarduum est principium aliquod et legem moralem consequi. Nam quum sensatio aliquid sit natura intra certos fines arctatum, quod neque quibus anteit, neque quibus prævertitur, referri possit; mobile aliquid et transitorium quod apud diversos diversum sit et in eodem etiam varietur; jam constat illam suppeditare non posse quod non ipsius est, necessitatem scilicet et universitatem quæ moralem omnem doctrinam notare debent, et nunquam inde deduci posse illam summi officii notionem cognitioni boni malique et distinctioni omnimodo cohœrentem (1).

Attente quidem et meditate circumspecta conscientia, firma sane nec mutationi obnoxia animadvertit Boethius principia, quæ in omni vita eadem perstare, eadem in omni tempore, in omnibus locis apud omnes homines reperias. E quibus sponte nec enixe sancta hæc officii notio derivatur, quæ omnes omni tempore et omnibus locis summa obligatione adstringet.

Ea sunt primaria Boethii principia (le point de départ), e quibus omnis ex ordine ethica doctrina deducenda est.

Ad hanc nunc quæstionem venio quæ diutius a philosophis agitata est : quid sit summum illud bonum cujus innata nobis appetentia, et, ut ita dicam, imposita necessitas est; quod unum modo et idem ubique esse collegimus, et omnes homines obligare.

---

(1) V. M. Vict. Cousin, in Philebi proæmio, œuvres de Platon, t. 2, p. 277.

Hacque absoluta disquisitione, inquiremus quid dicere valeant, quo jure et qua veritate dicant, qui nullum esse in terris malum, aut existere tantum negative profitentur. Quæque quum omnino distincta sint, jam primam aggrediemur quæstionis partem.

Ne quem fugiat unde profecti et quo pergamus, res iterum repetendæ sunt. Boethius pro certo habet divinum in anima aliquid inesse, unum et simplex natura, quod facile discreveris ab omnibus illis notionibus quæ, sensibus oriundæ, absimilia longe composita et repugnantia sæpius recipiunt elementa; quibus tamen per hanc vitam necesse commistum est. Quidquid verum in anima reperire est, ut præclare scripsit Plato in Θεαιτήτῳ, ad has divinas notiones referendum est, quas principium haud immerito et fontem omnium notitiarum nostrarum dixerimus. Quidquid autem falsum aut imperfectum ad sensus referamus, et e sensu oriundum fateamur necesse est. Unde consequitur, quum hoc detegere voluerimus quod verum natura sit et essentia, ad has notiones divinas animum appellendum esse. Ea sunt Boethii psychologica principia. Illæ autem innatæ notiones si a nobis, omni remota fraude, interrogentur, hoc ferme modo respondeant necesse est. Voluptatem, quod ad sensum attinet, rem caducam et fragilem esse, quæ vix nata effugiat, quæ vel dum hoc citato cursu evolet, immutatur tamen, imminuetur nempe aut augeatur; quod nullo modo recipere potest hoc quod per se sit et absolute. Quin etiam quum hæc aut illa voluptas adsit, permultas alias

abesse, et ipsam infirmari voluptatem qua fruimur præteritarum deliciarum memoria aut hac innata nobis conscientia quam breves et caducæ sint, necesse esse. Constat igitur ex imperfecta illa et vacua voluptate, nihil nisi imperfectam elici posse beatitudinem. Sed bonum ad quod naturali quodam instinctu tendat natura nostra, bonum quoddam ignotum est; quod omnes nostras facultates aut cupiditates adimpleat; nec hoc relinquat quod fingere, nedum cupere possimus. Hoc summum et perfectum bonum est, si fidem Platoni ac Boethio adhibuerimus.

Sed summum illud quodcumque sit bonum nusquam in hac terra nostra reperiri posse, omnibus manifestum est. Quod enim multiplex natura et compositum est, nunquam ad incompositam simplicitatem adduci potest. Summum illud bonum, quod omnium bonorum aggregatione constat, veluti certum ac meritum præmium huic addicitur qui ethicæ legi constanter obtemperavit, summum illud bonum, quod in sufficientia ponitur merito, Deum esse, nec injuria quidem, professi sumus; ad quem per officium primo, id est per virtutem; deinde per jus, quod ex impleto nascitur officio, id est per beatitudinem, se erigere ut unum atque idem fiant, homini datur. Nec immerito hoc egregie repertum dicimus, et mira quadam severitate a primis Platonismi principiis deductum, quod hic Boethius noster profitetur, e duobus summum bonum constare elementis, quæ licet distincta sint, non ideo separari aut discindi possunt, virtus nempe et felicitas. Sunt forsitan

qui Boethio exprobrent quod satis non ostenderit duo hæc elementa, licet non dividi possent, distingui tamen deberi ac discerni. Licet enim intime cum virtute conjuncta sit felicitas, virtus tamen unica habenda est causa cur hoc aut illud faciatur. Et nihil merito rectum aut bonum dicitur, nisi ad hanc normam referri possit. Quibus de causis, melius et liberius de eadem quæstione sensisse mihi videtur Emm. Kant qui illam eodem soluit modo in suo libro Puræ Practicæ Rationis: nec Boethius noster, qui dicere orditur quasi certum omnibus esset Deum atque animam esse, ne hæc attigit quidem quæ mira quadam facilitate Transrhenanus philosophus e principiis induxit. Gratiæ tamen et meritæ Boethio nostro gratiæ habendæ sunt quod in terris, ut ita dicam, ethicam et abstrusam quidem deduxerit doctrinam, quam in Philebo Plato et compluribus aliis operum locis, nec adeundam omnibus, seposuerat; servato hoc abstrahendi methodo, quo Plato semper usus est; qui nempe tantum modo deduxerit e vere ethicis Platonismi principiis quod ad probum vitæ regimen adhiberi possit.

Quid de malo senserit Boethius nobis nunc animadvertendum est. Et hic necesse est fateamur illum a recta et instituta via deflexisse. Hominem, quod ad vitam ethicam attinet, agendi facultate præditum esse liquet; et quum quidquid egerit homini merito imputari omnium judicium est, illum necesse est innatam illam agendi facultatem quodammodo regere et temperare posse. Suam igitur regit activitatem

homo; sed ita regit ut harum notionum instinctu semper agatur, quas rationi humanæ, ut vitæ gubernatrices, Deus indidit. His statutis, quum Deum neque crudelem, neque imprudentem esse compertum habeamus; jam manifestum est, illum rationi nostræ indidisse quidquid ad vitam nostram regendam omnibus casibus et in omnibus tempestatibus necesse sit. Impium enim et absurdum esset dicere nunc hominem a Deo suscipi, nunc deseri. Quæ si vere a Boethii principiis ita deduci possunt, jam liquet nullum in terris usquam malum esse, cujus ne notionem quidem Deus homini dederit. Rursus si receperimus semel, quod nullo modo fieri potest in systemate Boethii, malum in terris versari; jam non intelligere possumus, hac nostra exacta vita, quid de malo isto fiat. Nam quum anima, ut Boethius ipse professus est, ad creatorem revertatur, admittendum est malum (malam scilicet et vitiis addictam animam) ad bonorum omnium fontem redire; quod nemo concedere potest. Si hæc omnia e Platonicis Boethii principiis vere consequuntur, jam peccasse Boethium constat, quum de malo disserere tantum inceperit. Nam qui de malo disserere incipit esse positive malum de quo disserit fatetur; et in systemate Boethii malum nihil aliud est quam bonum quod non sit, et quidquid a bono divertitur non in se considerandum est, sed habita relatione ad bonum a quo deflexit. Constat igitur in Boethii systemate malum nihil aliud esse quam negationem. Etenim si malum aliquid merito nuncupatur quia a bono ut a norma

deflectat; et hoc bonum aut hæc norma vere sit et positive; rursus si a bono deflectere agere quidem est, sed agere negative; inde consequitur, a bono deflectere, id est malum facere, esse negative aliquid agere; et malum nihil aliud quam negationem esse. Quæ omnia Boethium partim effugerunt. Pluribus equidem sui libri locis profitetur suum omnibus rebus ac certum esse finem; et quum omnium rerum finis bonus sit, inde colligit malum nullius rei finem esse posse, et nullum usquam esse in terris malum. Item altero loco asseruit: hoc esse tantummodo quod naturam servat et ordinem retinet; quod autem naturam exuit aut ex ordine decidit jam non esse quod fuerat. Ita malos καθόσον γε mali sunt, esse; esse autem pure ac simpliciter negat. Sed hæc passim disjuncta sunt et incerte nimium exposita quam ut credamus illum perpendisse et vere intellexisse quæ scriberet.

Hoc errore notato, tempus esset nunc inquirendi utrum jure an falso perhibeatur, quod multi asseruerunt, non omnino malum esse, aut tantummodo negativum esse. Et hæc disquisitio digna prorsus est quæ sedulo producatur. Sed tam connexe cum alia quæstione conjuncta est et graviori quidem: sit an ne sit omnino humani arbitrii libertas; cujus consequentia quædam est, et cujus solutione quodammodo soluta erit, ut illam differre præsumamus donec altera hæc soluta sit. His præmissis quæ sentit de natura boni et mali, Boethius, hoc principio nixus, nihil aut bonum aut malum esse nisi qui bonum aut malum admiserit arbitrii libertatis, scilicet volendi aut

nolendi compos erat; in dubium adducitur an liber homo sit, et quæstionem libertatis humanæ ultro aggreditur. Hæc equidem est libri dispositio. Sed, mea equidem sententia, non dubitari potest quin Boethius, si res repetiisset unde illas, restitutionis causa, repetere instituimus, postquam ostendisset quid vere innatum in anima ac necessarium nempe divinum sit, quid sit vero necessarium, alio quidem sensu, nec non divinum tamen, has scilicet e sensu et materia oriundas notiones quas necessarias haud immerito dixi, quum illas secludere omnino et pro nihilo habere nobis non liceat; vix dubitari potest quin, hac indicata duplici necessitate, sibi statim libertatis humanæ quæstionem proposuisset, quæ in hoc spiritualisti systemate, ad hanc omnino referri potest : an sit Deus omnia quæcumque nobis circumdantur, aut aliquid sit Deo alienum et distinctum. Et quamcumque solutionem admisisset, illum inde colligere necesse erat : aut Deum esse omnia, nec liberum hominem, et nullum omnino malum esse; aut Deum ab universo discretum, et liberum hominem, et malum in terris esse. Ita ἀνακολουθίαν vitasset, et non probandam dispositionem : quod corrigere pro viribus nostris ultro aggrediemur.

Multa equidem et varia longe adversus libertatem objecta sunt : quibus omnibus, sive industria, sive inconsulto omissis, unum illud Boethius occupat, grave quidem et difficile, sed mea sententia difficilius quam quod ratiocinio dilui possit : quo scilicet modo intelligi debeant hæc inter se repugnantia, præ-

noscere omnia Deum et esse homini arbitrii libertatem. Nec illud ipso Boethio licet firmi ac sagacis ingenii viro, solutum esse arbitror. Rem enim per argumentum a cognitione divina depromptum solvere aggressus est; quæ cognitio pro Dei οὐσίᾳ longe varia ideoque illa nostra multo præstantior esse debet, et hoc ferme modo disputat. Omnibus manifestum est Deum æternum esse, qui totam scilicet interminabilis vitæ plenitudinem amplectetur; ita ut nihil futurum aut præteritum habeat, et mobilis temporis infinitatem ut præsentem intueatur. Quæ si ita sint, reducta ad simplicitatem præsentis Dei scientia, nihil esse potest nisi simplex et incomposita quædam cognitio. Nec enim ex eo quod res cognoscuntur, eas fieri necessarias consequitur, nec hominis quidem nedum Dei cognitio necessitatem rebus imponit. Divina præscientia fatendum est nihil rerum commutari, quæ tantum ut præsens intueatur, quidquid nobis aut præteritum, aut præsens, aut futurum est.

Ea est a Boethio data rei enodatio. Sed nisi cognitionem divinam aliquid esse arbitreris quod continuo progrediatur motu, quod res prosequatur, et cum iisdem fere coalescat (quæ quidem Spinosæ doctrina est); illa solutio valde hoc argumento infirmari aut omnino deleri mihi videtur. Quidquid Deus videt, est reipsa ut videt esse, nec aliter esse potest: sin aliter erraret Deus, quod dicere absurdum et impium est. Quidquid Deus videt, ut præsens videt; cui nempe nihil præteritum aut futurum sit, et præsens sit mobilis temporis infinitas. Nobis vero

qui in tempore vivimus, quibusque reipsa præteritum aliquid et futurum est; quidquid Deus ut præsens videt, aut præteritum aut præsens, aut futurum est; quumque ea quæ Deus videt certissima sint; inde sequitur Deum videre certissimo quodam modo ea quæ nobis sunt futura, et jam liquet nullam esse arbitrii libertatem.

Sed ista de humana libertate disquisitio, quam decurtatam adiit Boethius et ut ita dicam theologice absolvit, satis magni momenti nobis esse videtur si illam ipsam et spectemus et rursus ea quæ modo inde deducenda sint, ut rem a summo principio repetere, et minutissima quæque consectari aggrediamur (1).

Nonnulli prædicant universum terrarum orbem ingentem quamdam machinam esse, quæ sapientia et providentia omnipotentis Dei inventa, fabricataque moveatur. Nihil accidere potest quin ex eo oriatur, sive ipse agat, sive ad agendum alium promoveat; et quidquid evenit, pro ejus voluntate evenire, necesse est. Ille enim omnium rerum sola causa est, qui iisdem obstringat legibus quæ ad materiam spectant, et quæ ad vitam, intellectum et voluntatem referenda sunt. Homines enim cogitant aut volunt vi quadam insita, et certas secundum leges, quemadmodum frondes sese explicant aut flores aperiuntur. Quidquid animo statuunt aut bonum aut malum non eorum est; qui quum agere per se non

---

(1) V. Th. Reid, de libertate agentium moralium, passim, quem sæpissime secutus sum. OEuv. de Reid, traduct. de M. Jouffroy, t. vi, p. 185 et suiv.

valeant, nihil aut boni aut mali admittere possint, et quibus ideo nihil merito sit inputandum. Multo longius quidam processere; et illos quidem audacter ratiocinasse fatendum est. Naturalis doctrinæ intentione ad confusionem rerum adducti et creatorem et ea quæ creata sunt unum et idem finxerunt. Negaverunt ullam in hoc orbe universo esse posse causam; omnia moveri affirmantes nullum esse motus principium, omnia actionem pati, nullum esse actionis auctorem; uno denique verbo quidquid est, aut accidit, esse necessitate quadam quam ubique Deum appellare usu prævaluit. Hæc Spinosæ integra doctrina est.

Sunt autem et plurimi quidem, qui partem illam rerum creatarum quæ circa materiam versantur summo Dei imperio regi existiment; sed et simul profiteantur, aliquid aliud esse in terris quod inerti materie discrepet omnino. Dicunt enim infra primariam illam causam alias causas esse, ex illa quidem ortas, sed diversas tamen, nec huic obnoxias : ea scilicet animalia quæ Deus quadam agendi potestate simulque ratione instruxit qua potestas illa regeretur. E duabus illis arctissime conjunctis facultatibus constat ethica libertas, per quam homines non jam machinarum instar extrinsecus moventur, sed ipsi agere valent; quorum agendi facultas, licet intra certas fines coarctata et rationali lege obligata, hæc tamen est quæ recte aut male egisse sibi conscia sit; et cui bonum et malum quod admiserit, jure affingatur.

Nunc, proposita utraque opinione, in qua consistamus quærendum nobis est : an Spinosæ consentiamus hominem, ut reliqua omnia, effectum esse; an causam esse hominem asseramus, qui velle et assequi quemdam effectum possit. Ad hæc enim quæstio revocanda est.

Notandum est etiam, proposita ut fecimus quæstione, multa recidi quæ obstarent, multa præcipi quæ objicerentur. Hoc enim primum, quum libertatem statuimus quamdam facultatem esse ethicæ naturæ attributam, qua voluntatem homo huc aut illuc dirigat, illud quod a duobus philosophis (Hobbes et Collins) objectum est, removemus. Qui libertatem, volendi scilicet causam, et voluntatem ipsam unam et eamdem rem judicantes, libertatem esse facultatem agendi professi sunt, quod ex voluntate statutum est, et τὸ agere volenter et τὸ agere libere idem omnino esse asseruerunt. Quod illis libenter condonaverimus, si reputare nempe voluerimus, ut sagaciter Th. Reid. animadvertit, in quot sensus vox illa *libertas* accipiatur. Eadem illa definitione quod adversus libertatem objecerunt Hume et alii falsum arguitur. Hic enim, *causæ* prava definitione recepta, nempe causam nihil aliud esse nisi præeuntes illos casus quos effectus quidam semper ac necessario consequitur, quum voluntati, quam effectum nuncupatur, præire illos casus non videret quos effectus quidam necessario sequatur; inde colligit insulse τὸ velle effectum esse sine causa, et hanc causam nullam usquam esse : nec illud immerito quidem si

demonstratum foret causam esse omnino quod ipse statuit. Sed hoc omisso quam imperfecta et falsa sit hæc definitio, et quam absurda inde deducantur consequentia, id unum animadvertamus necesse est; hanc ad causas tantummodo spectare physicas et naturales, Anglicum autem philosophum, quasi concessum esset voluntatis quemlibet actum propriis materiæ legibus regi, perinde ut machinalis motatio propriis motationis legibus regatur; affirmasse, materiæ legibus voluntatem ut motationem propriis motationi legibus regi. Ita ut pro vero recipiat quod verum esse demonstrandum erat : scilicet quidquid voluntas nostra decrevit physicis naturæ legibus regi.

His primis summotis difficultatibus, in clara nitidaque luce quæstio versatur : An sit homo liber cui summum scilicet sit libertatis arbitrium? An causa jure nuncupetur homo, cui scilicet velle ac posse liceat?

Unum tantummodo adversus libertatem jure objectum mihi videtur. De sceptica illa Spinosæ doctrina dico, quam truncatam et infirmatam modo collegimus ab illis qui Deum ut primariam causam a mundo, materiali nempe effectu, distinctum arbitrantur. Etenim, si voluntatis huc aut illuc immissio effectus merito nuncupatur, causam quamdam esse liquet, ad quam referatur effectus; et hæc causa erit aut ille ipse qui voluit aut aliud quoddam. Si illum ipsum qui voluit causam esse fatemur jam concessimus illum liberum esse, et quidquid recte aut

prave egerit huic merito imputari. Sin autem, manifestum est aliquid nobis alienum causam esse. Seu causa illa per se, seu per instrumenta quædam egerit ad illam quæcumque referenda sunt, illi tantum imputanda. Ne fingi quidem aliud potest nedum jure objectum sit. Etenim alterutrum concedamus necesse est hominem causam esse aut non esse. Et jam si causa non sit, constat illum, ut omnia quæ novimus, effectum esse primariæ illius ac divinæ causæ, aut illam ipsam causam esse. Quæcumque objecta sunt adversus libertatem, ad hoc unum reduci possunt, sicut corollaria ad propositionem. Hæc autem propius ad principium accedunt, illæ longius a principio recedunt, quum alia Deum per se, alia per instrumenta quædam illum agere profiteantur. De his primo nobis agendum est qui Deum profitentur per instrumenta quædam voluntatem nostram dirigere. In quorum serie referenda sunt Leibnitii *ratio sufficiens*, et quæcumque a rationum actione (l'influence des motifs) inducuntur.

Hæc Leibnitii quantum illam intelligere potui doctrina est (1). A cognitione orditur, et menti humanæ inditam profitetur (quod ad cognitionem spectat) veritatum necessariarum notionem, quæ nos rationis ac scientiarum compotes facit : quod vero ad actionem attinet, menti inditum rationis sufficientis principium quod voluntatem nostram huc et

---

(1) Principia philosophiæ in gratiam principis Eugenii, n°s 29, 31, 32. Leib., Op., t. II, p. 24. Genève, 1768 in-4°.

illuc necessario abducat. Qua quidem doctrina mirum in modum attenuatur, si non tollitur omnino, humani arbitrii libertas. Illa autem rationis sufficientis doctrina peccare mihi videtur quod, ut probatum recipiat quod probandum est, et doctissimis viris Hartsoeker, Clarke et Reid vehementer assentior, qui illam hoc plano et gravissimo quidem, mea sententia, argumento impugnarunt. Si aliquid inest sensus in his parum planis Leibnitii vocabulis, dixit : Omni humanæ actioni antequam fiat præesse aliquid quod illam huc aut illuc necessario divertat, et quum hoc asserat tantummodo et nullo probet ratiocinio, constat illum pro certo habere quod dubitatur; quod vere principii petitio est. Quæ autem Th. Reid supposuit de sensu istarum vocum, joculatorie magis mihi videtur, quam virum gravem deceat, imprimis quum talem virum impugnet qualem fuisse Leibnitium constat. Et quod ad primam hypothesin attinet, graviter errasse Scotum animadverto; quum ad conscientiam moralem retulit, de qua mentio supra facta fuerat, quod senserat Leibnitius de extraneis et homini alienis causis. His autem quæ Clarkium secutus Leibnitio objecit assentior omnino. Liquet enim, quum voluntatem humanam affirmet Leibnitius a sufficienti ratione huc aut illuc abduci, lancis cujusdam instar quæ graviori pondere huc aut illuc inclinatur; illum pro certo habere hoc ipsum quod dubitatur, hominem scilicet lancem aut machinam esse. Nec illius diligenter perlecta cum Clarkio disputatione inveni quidquam ex

his quibus diluere objectiones conatus est, quod hoc ratiocinii vitio non inquinetur. *On objecte*, ait quodam loco (1), *que la balance est purement passive et poussée par les poids, au lieu que les agens intelligens et doués de volonté sont actifs. A cela je réponds que le principe du besoin d'une raison suffisante est commun aux agens et aux patiens. Ils ont besoin d'une raison suffisante de leur action aussi bien que de leur passion.* Objectionem nempe diluere tentat hoc affirmando quod Clarkius inficiatur, quod axiomata tantum recipere possunt.

Ad hoc Leibnitii argumentum referri potest quidquid de rationibus agendi (l'influence des motifs) perhibetur. Peccant eodem modo quod agendi rationes causas esse profiteantur, quod omnino secus est, nedum enim ratio agendi causa esse possit, causam quamdam esse et extraneam necesse est, qua remota, ipsa jam vanesceret. Nec ullo modo actionem facere aut pati ratio agendi potest, quippe quæ non vere et per se, sed relative tantum existat, et merito ad hæc referatur quæ *mentis concepta* appellamus. Si quem adhortatus ero, si cui quidquam suasero, hæc est ratio agendi; sed ne minimam quidem partem libertatis illud adimit. Inutile quin etiam et absurdum foret nisi integra esset arbitrii libertas. Nam inconsultum foret aliquid huic suadere cui omnis adempta esset aut volendi aut nolendi li-

---

(1) Leibn. disp. cum Clarck., App. 3. 4e et 5e réplique de M. Clarck., t. ii.

bertas. His concessis quæ ne Leibnitius quidem semper inficiari sustinuit, liquet hæc omnia eodem vitio insignita iisdem, quibus modo Leibnitii, argumentis confutari. Quibus de causis hæc omittenda omnino censuimus.

Hæc omnia quibus diutius immorati sumus, merito, prædiximus, ad hanc Pantheistarum doctrinam referri possunt, quorum principio aut strictius aut latius adhærent. Quod ad principium ipsum, nuda quadam et severa simplicitate conspicuum est. Nempe prædicant hunc quicumque nobis circumdatur mundus, Deum esse, qui varias omnes et mobiles induit formas, et motum et vitam rebus omnibus suppeditat; qui totus sit in toto a tenuiori elementorum ad rudes et asperas lapidum moles; a vita humana nostra sensu prædita et rationis participe, ad hanc aliam vitam quæ materialium adjunctione particularum constat; rerum omnium principium et finis, causa simul et effectus, cui concipiendo impar est humana intelligentia, quem in omnibus rebus revereri, cui semper et alacriter quidem parere finis omnium ac summa virtus est.

His autem neglectis quæ alio spectant, nobis tantummodo in hac doctrina inquirendum est, utrum merito an injuria profiteatur omnem homini denegatam esse arbitrii libertatem; et si constiterit illam impugnare quidquid natura in animis insitum est, hæc prætermittere sæpius quorum ratio saltem habenda erat, longe diversa natura et genere facta velut similia habere, neque unquam creditam

illis ipsis esse quibus prædicabatur, qui si fidem omnino suæ ipsorum doctrinæ adhiberent insani merito viderentur ; quidquid denique bonum, æquum et justum est his doctrinis funditus eradicari et quasi de industria tolli, jam manifestum erit nihil esse omnino quod ex his hostibus libertas nostra reformidet.

Duo genera veritatum esse , quorum alterum per se appareat nec ulla indigeat ope ut viris mente sanis probetur, alterum autem ex his velut a fontibus, ratiocinio deducatur; ne, mea sententia, dubitari quidem potest. Quæramus nunc an libertatis notio ad has primarias veritates jure referri queat. Hoc natura in omnium animis insitum est, et manifestum nobis a primis rationalis vitæ temporibus apparet , omnem οὐσίαν omnem que οὐσίας immutatum modum suam necessario causam habuisse. Quod unde et quando provenerit dicere non nobis promptum est, negare autem omnino absurdum esset , quum nemo unquam illud animo penitus evellere potuit. Hoc identidem aliud natura nobis inditum est, ut quotiescumque deliberate et voluntarie agamus, nosmetipsos actionis nostræ causas esse arbitremur. Quin et verisimile est, ut scite scripsit Th. Reid , quidquid sentimus de causis inde originem duxisse, quum, omnis alia causa (in intellectu nostro), ad effigiem hujus nostrœ causæ voluntate nempe atque intelligentia præditæ, fideliter expressa sit. Ita ut hæc nostra qualiscumque sit, primariæ ac divinæ causæ nihil aliud esse quam hæc nostræ causæ notio , remoto quidquid humani atque imperfecti haberet , merito

videatur. Inde consequitur, ut quicumque hanc nobis innatam esse notionem causæ negaverunt, dummodo sibimetipsis constiterint, illam etiam primariæ causæ notionem inesse negaverunt. Quod meo quidem judicio, omnino secus est, nam ex hoc ipso quod dubitatur utrum nobis insita sit, an non; illam inesse liquet; nam ne ulla quidem nobis causæ notio esset, nisi hæc ipsa nobis causa inesset.

Si verum est quod supra collegimus, quidquid de causis sentimus natura nobis insitum esse; jam liquet hoc neque demonstrationem recipere, neque demonstratione indigere. Pauca tantummodo animadvertenda sunt quæ rem in lucem devocent. Si quis antequam aliquid vellet hoc attentius perpenderit et diutius secum meditatus erit, jam manifestum est huic persuasum esse se hoc posse de quo deliberavit. Re autem diutius perpensa; quum ad hoc inclinavit quod sibi anteponendum visum est, jam liquet hunc hominem se posse quidquid decrevit, ratum esse. Et gravissima sunt hic argumenta illa quæ rem tantum rursus affirmare videntur. Jam quid sibi vellent omni sublata libertate permulta alia ne fingi quidem potest; nempe quum aliquem consilio juvamus, aut aliquid ab alio deprecamur, aut servos jubemus hoc aut illud facere, et hæc fides nostra quum rati sumus illos quod jussimus aut quod polliciti sunt, exsecuturos, et permulta alia. Nec enim vacat, quid de jurejurando, de fidei-commissis et stipulationibus leges sanxerunt attingere, quæ omnia licet errores naturæ nostræ nuncupentur, summa

tamen omnium observantia ut sacrosancta coluntur.

Nec nostra modo hæc sententia est : item omnibus temporibus ac locis homines sensisse constat. Ita ut haud immerito dixerim idololatriam inde originem duxisse. Namque ut plures observaverunt (1), instinctu quodam pueris usitatum est a quibus non ita distant rudes et barbaræ gentes, quidquid in se sentiunt ad alia velut humana transferre ; cujus rei multa in linguis vestigia reperire est. Errabant enim, nec translationibus uti sibi conscii erant homines quum ventum flare, silere, occidere; solem exsurgere, vergere ad occidentem perhibebant. Quarum translationum plures, deletis jamdudum quibus constabant erroribus, ad tempora nostra usu prævaluerunt. Nulla item alia ratione explanari potest quod in omnibus linguis reperire est activa passivaque verba. Et hoc imprimis mea sententia, deliciarum habent OEsopica illa τῶνθηρίων colloquia, translatitius sermo, προσωποποιΐαι, atque ἀλληγορίαι, quod ad innatum illum sensum spectent, primæque ætatis memoriam, non sine quodam dulcedinis sensu, suscitent.

Alia sunt et sublimiora quidem quibus fulciatur hæc per se satis superque manifesta doctrina. Hoc concesso quod non negari potest, nos hanc nostram libertatem pro certo habere ; hoc rursus objectum est, nos in hac fide nostra errare posse, et parum scite

(1) Imprimis J. B. Vico, Philosophie de l'hist., trad. de M. Michelet, liv., I, cap. II, p. 44.

quidem, quum nos errare nulla unquam ratione deprehenderemus. Etenim ut illud detegeremus necesse esset varias duas nos habere et adversas facultates quarum altera in errorem induceremur, altera autem ab errore revocaremur. Et si compertum semel haberemus nos hac aut illa nostra facultate errore affici, imprudens et insulsum fere esset cuilibet facultati fidem adhibere, quum illius auctor omnium auctor sit. Si deinde admiserimus unam aut alteram nostrarum facultatum nos in errorem inducere posse, concesserimus Deum nos errore sponte et scienter afficere, et veracitate summota, tollitur divina perfectio, Deus ipse tollitur. Nec satis, his aperte contradicunt quæ Deus ipse nobis præcepit. Homini, καθόσον γε moralis est, lex quædam proponitur; et ut rationis particeps est, legis hujus mandata, et se hac lege obstrictum, intelligere potest. At mendax prorsus et inutilis fieret suprema illa lex, mendax nempe si vitare illud nequiret a quo nos devocet, mendax autem et inutilis si nobis impositum est quidquid velut sponte acturis suadet. Quid autem in hac doctrina sibi velint hi conscientiæ motus quorum stimulis agitamur, si mali quidquam admiserimus, nescio. Adempta enim omni arbitrii libertate, vana prorsus et inepta est quæ illud admisisse exprobret quod nobis vitasse non licuit.

Hæc sunt quæ nec intelligere nec explanare potest quisquis libertatem homini denegat, ad illum nempe referenda sensum quem omnino inficiari nemo unquam, integra sua fide, sustinuit. Et ne quis nos

interdum illo eodem peccasse ratiocinandi vitio exprobret quod in aliis insequeremur; hoc animadvertendum est quidquid pro vero recepimus illo inniti sensu qui nec demonstratione indigeat nec contradictionem pertimescat; quidquid vero pro certo illi habuerunt falsum a sensu ipso declarari, conscientiaque omnium rejici.

De gravi illa et superhumana quæstione : repugnent ne præscire Deum et homini esse arbitrii libertatem, qua Boethius nescio an jure diutius immoratus est; pauca quidem aut nihil admodum mihi in animo dicere est. Res obscurior est, et nimiis implicata difficultatibus, et nimium inter se repugnantibus constat quam ut humana intelligentia dilucidari possit. Et nemini unquam, multi licet singulari quadam doctrina et subtilitate rem enodare aggressi sint, hoc ex sententia successisse mihi videtur. Ita ut a divi Augustini sententia haud multum abhorream qui nos amplecti utrumque suadet et utrumque confiteri, illud nempe ut bene credamus, hoc autem ut bene vivamus.

At soluta nunc illa de libertate arbitrii difficultate, quam solvisse et injuria ni fallor sibi gratulatur Boethius, quomodo se res nostræ habeant, animadvertendum est. Si verum est, quod supra diximus, e libertatis quæstione mali quæstionem pendere, ita ut illius solutione hanc solvi quodammodo necesse sit, constat nos altera de malo sentire, qui altera de libertate sensimus. Nam licet quidquid modum excedit innato quodam dignitatis humanæ sensu Boe-

thius noster detrectet; illum ipsa systematis directione ad necessitatis doctrinam inclinare manifestum est. Quod quum e compluribus locis colligi possit, hoc unum eligam quod magni momenti in doctrina magni autem ponderis erit in refutatione. Quicumque necessitatis doctrinam foverunt, illam corrigere tentarunt hoc asserentes quod necessitate impositum est necessario bonum esse (1). Ita ut perfecta libertas, nedum imposita necessitas merito videatur quidquid optimum est nullo obstante assequi. Hac Leibnitii doctrina non ita abhorrere videtur Boethius qui profitetur quum ne malum quidem Deus fingere nedum exsequi, nec homo quamdiu naturam servet nunquam a recto deflectere possit, nullum usquam in terris malum esse; nec contraire posse, quamdiu naturam servet, voluntatem humanam divinæ voluntati, quibus æqualiter quodammodo imposita sit boni necessitas.

Sed demonstrata arbitrii nostri libertate, longe aliter se res habent. Duo legum esse genera constat

---

(1) Leibn. Op., 5e écrit de M. Leibnitz, en réponse à la 4e Réplique de M. Clarke. Quant à la nécessité morale, elle ne déroge point non plus à la liberté, car lorsque le sage, et surtout Dieu (le sage souverain) choisit le meilleur, il n'en est pas moins libre; au contraire, c'est la plus parfaite liberté de n'être point empêché d'agir le mieux. — Ib. 3e écrit de M. Leibnitz, en réponse à la 2e Réplique de M. Clarke. Ce n'est pas cette fatalité qui n'est autre chose que l'ordre le plus sage de la Providence, mais une fatalité ou nécessité brute, où il n'y a ni sagesse, ni choix. Leibn. Op., t. II, p. 143 et 122.

quarum aliis, naturalibus nempe legibus, quidquid accidit in orbe moderatur Deus ad quem hoc, quodcumque sit, merito refertur : aliis autem hominem rationis et cogitationis participem per vitæ tempus dirigit quæ voluntarias tantummodo et liberas spectant actiones. Hæ observandæ sunt leges; sæpius tamen perfringuntur. Violari igitur legem moralem non impossibile est, nec hæc violatio merito effectus sine causa nuncupatur, nam causa ille est qui legem perrupit quod illi imputari potest. Timuisse quosdam animadverto, hac recepta mali facultate, ne dignitatem hominis in discrimen adducerent; quod meo equidem judicio omnino contra est. Hoc homini gloriæ est quum probe faciat, quod male facere poterat : quod eligere poterat utrum velit, aut bonum quod sibi a Deo proponitur, aut malum ad quod naturæ quodam instinctu incitatur; aut bonum quod forsitan cæca est divinæ et innatæ necessitati obtemperatio, aut malum quod nosmetipsi saltem efficimus et creamus; omnem enim qualemcumque sit et ipsam boni necessitatem renuo et reprobo. Et ægre tuli Boethium nostrum dicere Deum malum admittere non posse. Nam ut scite demonstravit vir singularis doctrinæ et modestiæ, si compertum esset Deum admittere malum non posse, nulla jam illi agendæ essent gratiæ pro omnibus quæ de nobis bene meruit. Nullas enim Deo gratias agimus quod omnia prænoscit, aut quod æternus est.

E quibus omnibus, sedulo et pro viribus nostris diligenter consideratis, colligimus, 1° merito Boe-

thium in anima notionum omnium originem quæsisse et omnem inde ethicam doctrinam deduxisse; 2° præclare illum ostendisse quæ vulgo repugnantia existimantur, virtutem nempe et felicitatem, unam et eamdem rem esse; licet aliquid virtuti detraxisse merito videri possit; 3° errasse autem quum de malo quasi nullum esset disputare aggressus est, et de malo disserere cœperit non demonstrata illa libertate unde malum originem ducere constat, et hæc de malo asseruerit quæ arbitrii libertatem non leviter infirmarent. — Et quod ad libertatem ipsam attinet non probo illum neglectis omnibus quæ objecta sunt in libertatem de præscientia tantum divina animadvertisse et ita animadvertisse ut facillime confutari possit.

Grates tamen Boethio nostro persolvendæ sunt qui inclinato ad perniciem imperio et ad delirium aut ad theologiam vergente philosophia sibi ipsi constiterit, hac duplici ruina interritus, nec capta urbe de republica desperaverit. Certos intra limites philosophiam Boethius redegit quum justos egressa fines verecundiam omnem exuerat. Primarum illarum causam notionum luculenter asseruit, quibus summatis nihil est quo vita nostra jure regatur; et quod præstantissimi philosophorum docuerunt, florente nempe Græcia, Plato, et, nostra fere memoria, divinus ille barbarus Emmanuel Kant, ipse in hoc libro *Consolationis philosophicæ* docuit, humiliori equidem sed humaniori forma. Ita ut de illo haud immerito dixerim quod de seipso scribebat Livius, si in obscuro illius fama sit, nobilitate ac magnitu-

dine eorum qui nomini ejus officient illum se solaturum.

Quod autem ad nos attinet, nescio quo dulcedinis ac voluptatis sensu pulverulentos illos evolvimus codices ac perlegimus. Recursabant enim animo quæcumque audivimus aut ipsi sensimus de perpetua illa philosophicarum doctrinarum serie, quæ variis licet attenuata tempestatibus, nunquam omnino soluta est. Et quum nobiscum reputaremus scriptum hunc libellum esse quo jam tempore ingrueret barbaries et sol ille veteris orbis tenebris obduceretur, mira quædam nos subiit reverentia præteritæ illius ætatis quam nunc deprimere, et rursus bona et magna spes futuræ illius nostræ ætatis de qua desperare, hodierni moris est.

Has theses dilucidare ac tueri conabitur, ad doctoris gradum promovendus, Constant-Étienne-Alfred-Edward BARRY, Scholæ Normalis alumnus, in Facultate litterarum jam licentiatus.

Die mensis julii 1832.

Vidi ac perlegi, Parisiis die undecima mensis februarii ann. 1832,

N. E. LEMAIRE,

Decanus facultatis litterariæ in Academia Parisiensi.

Typis mandetur. ROUSSELLE.

Studiorum inspector, procurandis Academiæ Parisiensis rebus præpositus.

